SPECIMEN
BIBLIOTHECAE CRITICAE
MAGNETISMI SIC DICTI ANIMALIS

CONSENSV ILLVSTRIS MEDICORVM
ORDINIS

PRO
OBTINENDIS SVMMIS

IN
MEDICINA ET CHIRVRGIA
HONORIBVS

SCRIPSIT

PAVLVS VSTERI

TIGVRINO - HELVETVS

PVBLICE DEFENDENDVM D. V. APRIL. MDCCLXXXVIII.

GOTTINGAE

TYPIS JOANN. CHRIST. DIETERICH.

— *ego, ſi riſi, quod ineptus*
Paſtillos Rufillus olet, Gorgonius hircum,
Liuidus ac mordax videar tibi?

FLACCVS.

VIRO OPTVMO

PRAECEPTORI SVI AMANTISSIMO

IOANNI HENRICO RAHN

M. D. PHYS. AC MATHES. IN GYMNAS. TVRIC. PROF. P.

TEMPLI CAROLINI CANON. cet. cet.

IN

PVBLICVM

GRATI ANIMI PIGNVS

SACRVM.

Haud quidem opus fuiſſet, Praeceptor colendiſſime, vt ad declarandam Tibi meam in Te pietatem, ad dedicationis tritum et parui toties momenti officium confugerem — niſi et publicum exſtare qualecunque animi mei, reuerentiae et gratitudinis in Te pleni, monumentum voluiſſem.

Nunc vero noua accedit ratio, quae vt Tibi, o Optume, ſcriptiunculam hanc offeram, me impellit — ipſa nempe eius leuitas; — facile quippe praeuideo, multos fore qui nullius plane momenti, niſi penitus opus operatum facillimo labore ex quouis nupero diario conſcribendum (id quidem inexperti dicerent) meum laborem iudicent; qui porro ingenii ſpecimina, non collectanea quaedam exhibenda eſſe iuueni, qui dignum ſe quo iam ornatur honore, erudito orbi probari velit; neque tandem id ipſum, bonam dare vel ſpem vel exſpectationem de iuuene, ſi in colligendis ac legendis

 tot

tot libris, libellis, commentatiunculis, diariis et quae ſunt porro, de ineptiis ac ſomniis noſtrae aetatis, tantum temporis conſumet, quamtum auctor ſcriptiunculae praeſentis.

Quid vero exſpectanti mihi huiuscemodi cenſuras laetius accidere, quid gratius eſſe poſſet, quam quod Tibi Praeceptori meo optimo, quae contra dicenda habeo, dicere queam, et ita Tuo quodammodo praeſidio frui mihi liceat; eo quidem audacius hoc facio, quod nota et perſpecta Tibi eſt ſtudiorum meorum ratio.

Igitur *Hiſtoriam Litterariam* adamo, pro viribus colui et colo, et vnicam eſſe ad veram eruditionem viam, et ad partem eius fontem perſuaſum prorſus habeo — ita vt, niſi bonum et eruditum medicum opponere ſibi aut ſeparare ſaltem — malo mehercle conſilio —, velis; bono medico Hiſtoriam Litterariam neceſſariam ſi quam vllam medicinae partem cenſeam; et eam negligi, et ſummo cum damno negligi, quotidie mihi videre videor, ita vt dubitarem, anne ſpecimina ſic dicta inauguralia, Hiſtoriae Litterariae partes hactenus incultas exhibentia prorſus temnenda eſſent. — Accipe vero gratias, quas poſſum maximas o optume Rahni, qui cum deprendiſſe me ſcientiarum noſtrarum fontem hunc et amare illum obſer-

obſeruares, firmaſti dubitantem, conſilia ſaluberrima dediſti, adiuuaſti o quantum!

Quod vero nuperi quidam, qui ſibi ſaltem magni Viri videntur, deridentes inanem et ſtultam ſibi viſam diligentiam, contra lectionem quam plurimorum librorum proferunt, et cum ſuo „Pauca et ſelecta„ ſapere ſibi ſoli videntur; refutet immortalis memoriae Vir ALBERTVS DE HALLER — exemplum quod aſſequendum ingenuus quisque iuuenis ſibi proponat — „id equidem video„ ita Vir ſummus ait „laborioſam rem eſſe libros legere, volumina exſtare pene innumera, ſcripta diuerſis linguis, multa inutilia, multa repetita plerisque operibus contineri, neque fidem ſemper et induſtriam auctorum eam eſſe, ſuper quam firmum corollarium ſtruas — oportebit pertinaci labore, ſed iudicio vna vti accurato et difficili, vt veros rerum euentus ab erroribus ſepares, quos praeiudicata opinio et ſcholae auctoritas et ornandae hypotheſeos amor adeo frequenter per optima ſcripta diſſeminarunt. Neque tamen ſupra vires humanas erit aut legendi labor aut ſpes diſcernendi veri; quam propria experimenta plurimum adiuabunt, diſces enim eum fidum auctorem eſſe, cum quo naturam ſaepius conſentire videbis„ quibus addere liceat, quae de alio qui-

dem eruditionis genere loquens, Vir magni nominis HEYNE ait; „nec ſane per dumeta haec et virgulta ſemel ereptaſſe infructuoſum eſſe poteſt, et ſi nollem in iis quemquam ſedem fortunarum et habitationem figere; etenim in rerum vel maxime tenuium et ieiunarum tractatione occurrunt nonnulla, quae ad grauiora ducunt, modo ingenium et doctrinam adhibueris. „

Longe iuſtior videtur, ea cenſurae ſupra allatae pars, quae cenſet, ingenii ſpecimina potius quam ſolius diligentiae afferenda eſſe iuueni, qui ſe bonum dignumque medicum fore erudito orbi probari velit. Veritatem huius aſſerti penitus agnoſco, et pauciſſima habeo, quae forſan contra dici poſſent, nec ea ipſa proferre lubet, ſi vel per minimum temporis momentum conſidero, quam verum et graue ſit illud SENECAE effatum. Nihil magis praeſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentem gregem, non qua eundum eſt, ſed qua itur. — Igitur et ego ingenii ſpecimen qualecunque publici iuris facere conſtitueram, de themate paulo infra quaedam dicam; ſed eheu; per id ipſum tempus — integras quinque hebdomadas — quod commentatiunculae huic conſcribendae maxime deſtinauaram — dira febris nervoſa lenta — laboribus me ſubtraxit — idem fere

morbus

morbus in quo te cariſſime RAHNI ante anni circiter ſpatium optimum expertus ſum ſeruatorem — quem nunc in Fautore ac Praeceptore meo aeternum pie colendo FISCHERO Viro Illuſtriſſ. veneror, — de his vero prolixius nuper ad te ſcripſi; nunc quod itineribus litterariis deſtinaueram tempus adeſt, nec ſupereſt quod profundioris indaginis themati elaborando ſufficiat — igitur haec paululum differenda et in fugam vacui, ex collectaneis meis quaedam cognati argumenti depromere idoneum duxi; hanc vero et alios qualescunque labores, ſi Deus vitam et ſanitatem largietur, me erudito orbi paucis communicatarum ſpondeo.

Liceat adhuc optume Praeceptor quaedam addere de modo quo Hiſtoriam Magnetiſmi ſic dicti animalis — argumentum quod thema Diſſertationis elegiſſe me, ante aliquod tempus ad te ſcripſi — tractare mihi propoſueram.

Hiſtoriae huius conſpectum egregium Tu quidem Praeceptor colendiſſime, nuperrime in Diſſertationum tuarum de ſympathia altera dediſti; in qua incipiens ab enarratione virium magnetis veteribus notarum et iactatarum, hiſtoriam ſanationum nuperorum ope magnetum artificialium inſtitutorum prolixe exponis, et ita ad laudatum MESMERI inuentum venis, cuius fata Viennenſia

et Parisiensia cum doctrina ipsa dilucide enarras, tandem nouarum ineptiarum somnambulismi et desorganisationis subiungis historiam; supersedens expositioni recentissimorum miraculorum magnetica arte per Germaniam fere omnem — dilectamque nostram Heluetiam proh dolor peractorum. Historicae huic expositioni, prorsus egregiam commentationem addidisti in qua psychologicam explicationem phaenomenorum magnetismi sic dicti animalis nobiscum communicas.

Ita Tu — ego vero aliter paululum materiam hancce tractandam mihi proposueram, et eam maxime, qua partem historiae opinionum humanarum et culturae ingenii, vicennii nostri iam fere absoluti considerare volui. Breuem ideam verbi nostratum *Aufklärung* (idoneum latinorum verbum in mentem haud venit, siue enim ingenii culturam siue mentis illustrationem dicere velis, non tamen germanae vocis ideam habebis) — fatorum eius hoc temporis spatio vt et mediorum partim bonorum partim falsorum et perniciosorum ad illam vel gignendam vel augendam adhibitorum, historiam praemittere absonum haud videtur *a*). Tum enarrandae

a) De his conferri merentur nuperrima scripta. Zöllneri Viri Clariss. *Ueber Aufklärung*. In Ei. *Lesebuch für alle Stände*. T. VIII. p. 92-101.

randae essent causae praeparantes, quae vt tam cito tamque rapide magnetismus s. d. anim. fautorum et sectatorum immanem copiam assecutus sit, effecere, in quibus exponendis multum etiam ad viam quam legit, attendendum erit. Causae illae vero forsan sequentes praecipue essent:

1) Illa a Gallis profecta sed proh dolor iam in Germania sat communis prurigo ex omni scientiarum genere, et inprimis ex scientiarum physicarum eheu quam vasto ambitu aliquid sciendi — dico aliquid — nullo superstructum fundamento idoneo, ergo falsum — verum — pro circumstantiis; quodnam autem erit fundamentum istud idoneum nisi quae omnium scientiarum fundamentum est Philo-

de Rochw Viri Illustriss. *Beantwortung der Frage der Berliner Academie auf 1783. Welches ist die beste Art, sowohl rohe als schon cultivirte Nationen die sich in mancherley Irrthümer und Aberglauben befinden, zur gesunden Vernunft zurückzuführen* — quae exstat *in Braunschweig. Erziehungs-Iournal 1788.* Fasc. 1. et 2.

Weberi Viri Cl. *Ueber das Betragen des wahren Weisen, bey dem zweydeutigen Lichte der Aufklärung unsers Zeitalters, in Briefen an Aerzte und Weltweise. Saml. I.* p. 1-16. nam inde vsque ad finem huius commentationis res supra meum captum continentur.

Philosophia; neglecta ista nostris temporibus si qua vlla scientia. Qui obseruare nunquam didicerunt, omnis generis et conditionis homines, obseruatores exstant, obseruationes suas in publicum edunt, ex quibus vel fugitiuo oculo consideratis apparet, eos et primas principesque bene obseruandi regulas ignorasse ac neglexisse — illi tamen suis obseruationibus se multum iactant, et prius certissimas veritates, imo naturae iudicia confirmata, derelinquenda esse, quam errorem obseruationibus suis inesse somniantur; cum tamen quo quid est rarius, insolentius, contra naturae ordinem, experientiis id eget longe accuratioribus quam quod quotidie fere accidere videmus, vnde et vir grauis et prudens in huiusmodi rebus nisi omnia ea exhibeantur quae disciplina praescribit logica, in capite de fide historica fidem iis non habebit. — Qui exempla conclusionum contra omnes logices regulas ipsamque sanam rationem, facillimo labore conquirere velit, adeat is nuperrima magnetica scripta. Nil singulare igitur, nil mirum video si iisdem nostris temporibus, quibus omnis scientia physica et naturalis tanta tamque insignia cepit incrementa, nihilominus qui ex ignorantia harum rerum vel potius ex nullis fundamentis superstructa, incerta igitur, facillime labefactanda, ex minus puro

fonte quales : saepissime dilectae nostrae aetatis hominibus, encyclopediae sunt, hausta quadam earum scientia prouenit, artium magicarum *b*), magnetismi animalis, totque aliarum nostri temporis ineptiarum, tantus vndique applausus, tantus fautorum et sectatorum numerus; quis non solidioris scientiae amans, indignabundus et cum maerore legit, nuperas quasdam philosophicas sic dictas disquisitiones, Anonymorum in vno alteroue celeberrimorum Germaniae diariorum, quae gallorum futilem loquacitatem assequuntur quidem, sed o quantum a sana Philosophia abhorrent; vt taceam inepti hominis, ob ipsas suas ineptias famosi WEKHRLIN

b) De quibus commendari satis vix potest TIEDEMANNI Viri Ill. Disp. praemio Gottingensi ornata. — De Artium magicarum origine. 4. Marburg. 1787.

De nuperrimis vero magicis operationibus conferri merentur, quae in omnium manubus versantur *Geheime Briefe über die Berlinische Staatsverfassung seit der Thronbesteigung Friedrich Wilhelms.* Utrecht 1787. 8. praeter impostoris CAGLIOSTRO nuperrimam historiam, qui proh dolor 1787 dilectam nostram Heluetiam adiit, et cum medici persona successu mox orbaretur, iam Basileam se contulit et anno 1788 magicas suas operationes rursus instituit, coram hominibus qui illustrissimae faeminae, VAN DER RECKE scriptum legere. O Tempora o Mores! —

hrlin encomia prorſus inſania magnetiſmi Mesmeriani et Pichleriani, eius abſonas diſſertationes de magnetiſmi cum ſancta religione connubio et de miraculis ſeruatoris noſtri per magnetiſmum peractis, quae tamen contemnendi hominis ineptiae omnes philoſophico tegmine ornantur — et ab aeque inepto ac ignoto homine, qui ſe Schvlz vocat, nuperrime iterum laudantur, et inter philoſophice ſcriptas pro magnetiſmo commentationes referuntur.

2) Illa hominibus quaſi innata Miraculorum et Arcanorum appetentia et cupido *c*).

3)

c) Praeterea omnem hanc errorum cohortem regit aut gignit aliud rationi noſtrae inſitum, cuius vi a ſimilibus ſimilia, a contrariis, contraria, adeoque a raris aut quae fiunt extra ordinem, rara etiam miraque exſpectamus. Hinc factum vt ſi quem ſupplicio affectum cernerent, peculiarem ineſſe oſſibus eius ac raram poteſtatem, vt ab animalibus raro viſis, aut facile non capiendis, more aliquo inſolito viuentibus, magna ſibi promitterent emolumenta. Tiedemann l. c. pag. 39.

Cfr. etiam Wieland. Viri Illuſtr. *Proſaiſche Schriften.* T. I. — vbi aliquo loco, egregia quaedam huc ſpectantia habet. Liber vero non iam ad manus eſt.

3) Societates quaedam arcanae; quarum interest inscitiam et superstitionem inter homines augeri *d)*.

4) Mulierum et muliercularum nimis magnum in viros imperium *e)*.

5)

d) Hi sunt (de fraternitate Roseae crucis loquitur) ni fallor, maxime, qui magiam alchimiam, theosophiam hodie magno conatu, ingentique librorum quotidie prodeuntium numero defendunt, qui fabulas fere omnes et mysteria ne ab ipsis quidem intellecta, in scenam referunt, qui libris ipsa nocte obscurioribus quod superest sensus communis et sanae rationis pessumdant, qui philosophiam tot seculorum laboribus elaboratam et ad fastigium haud spernendum adductam calumniantur, et in odium ac inuidiam adducunt, qui si fuerint superiores, quod Deus auertat, omnem tandem sensum communem Eclecticorum apud Graecos et Latinos exemplo, funditus delebunt, literasque omnes accuratiores exscindent. TIEDEMANN l. c. p. 114.

e) Cfr. Librum sat bonum anonymi auctoris *über die Weiber*. 8. Leipz. 1787. — pag. 172. ait auctor — *Die Schwärmereyen, die Schande unserer Zeit, haben gewiß dem Einfluß der Weiber auf die Denkungsart der Männer, einen großen Theil ihres Eingangs zu danken. Die Neigung zum Wunderbaren geht bey diesem Geschlecht außerordentlich weit.*

5) Luxuria semper increscens, cum sequelis suis et comitibus.

6) Lectio Fabularum Romanensium et in genere huiuscemodi Librorum, qui homines passivos imbecilles molles reddunt, et a statu actiuo vnico hominis naturae et dignitati congruo auocant, vnde non mirum si tam gratus illis et acceptus analogus somni magnetici status est *f*).

Hae in genere praecipuae videntur, ineptiarum de quibus iam agimus, tam late dispersarum causae praeparantes; singulares adhuc in via quam magnetismus legit latent. Parisiensibus

f) En iterum ex Tiedemanno egregia quaedam huc spectantia quae in opere citato pag. 127 leguntur. Genius Cabbalismi et Theosophiae vt Orientis fere nationum est animi quaedam imbecillitas ac mollities nihil per se audens, omnia aliunde exspectans, qualis solet esse eorum quoque animus quos nimia diuturnaque fregit tyrannis et ad indolentiam alienis inhiantem opibus redegit. Quod idem cum sit Theosophicae disciplinae indoles, cumque magnos ea fecerit in Gallia hodie progressus, faciat in Brittannia et Germania, pessimi profecto est ominis et argumentum prorsus iam hos omnes a maiorum degenerasse virtute et aut in seruitutem iam esse omnis generis redactos, aut eidem sat maturos.

bus quippe, testante egregio huius vrbis scriptore, Menuret de Chambaud — panis et spectacula, ad bene beateque viuendum sufficiunt. Quid ergo mirum si in hac vrbe *g*), notissima omnium ineptiarum, quae sensus delectant matre, inuentrice atque tutrice, et Magnetismus s. d. animalis benigne susceptus sit, atque nutritus — id quod Viennae haud contigit, siue quod ipsius rei ortum et incrementum videbant Viennenses, et Mesmer nondum omnia sua ad alliciendos homines artificia adhiberet, siue forsan et alia de causa. — Quomodo vero factum sit, vt derisus per Germaniam, susceptusque Parisiis Magnetismus, rursus redierit et summo applausu receptus, nouos iam in Germania progressus fecerit — cur Argentorati praesertim sedem suam fixerit; haec vltra mihi exponenda forent. — Eius fata in Germaniae variis prouinciis et Heluetia nostra dilucidanda — et tandem si desierit fabula, vt omnes quae praecesserunt, in risum; vltima mihi paucis disquirenda oritur quaestio. Quae iam nostra sit conditio — quid sperandum, quid metuen-

g) Essai sur l'histoire medico. topogr. de Paris. 8. Paris 1787. Cfr. etiam *Les Entretiens du Palais royal.* Utrecht 1787. *Philosophie des Vapeurs.* Paphos et Paris 1784 et alia plura.

metuendum, ſi proximo Decennio nouus oritur MESMER, nouus GASNER, nouus CAGLIOSTRO. An cautiores erunt qui deceptos nunc ſe vident, ſed toties iam decepti, non tamen reſipuere; de his ſane vix aliquid ſperandum, omnia metuenda. Coronidis tandem loco haud inepte pauca de nuperorum educatorum, nouis conſiliis et auſis dicentur, quoad vel apta et idonea vel vero falſa et prorſus inepta ad bonos, ratione vtentes, eamque phantaſmatibus et ſomniis praeferentes Ciues formandos, videntur.

En breuem ſciagraphiam, de qua cogitata Tua Praeceptor cariſſime, admodum mihi ſunt deſiderata, cum ad emendandam eam multum certe iuuabunt, et ſi conſilium meum probares, eo citius et alacrius ad Thematis elaborationem me accingerem.

Quam in *Bibliotheca magnetica* cuius ſpecimen ſequitur, ſecutus ſim rationem, per ſe patet. Cenſurae meae ſunt, vbi librum videre non contigit, nil niſi contenta ex diariis addidi.

Iam vero ignoſcas quaeſo Praeceptor colendiſſime, quod tam longo ſermone grauioribus negotiis Te ſubtraxerim. Producat ſummum Numen

men vitam Tuam ad prosperam et placidam senectutem, quod non Tua tantum et Tuorum causa precor, sed et Ciuium, Amicorum, Discipulorum, omniumque ad quos et vitae Tuae fructus et exemplum pertinet; mihi vero quod magis optem, praeter amoris Tui continuationem, non habeo, quam vt re et factis, non verbis tantum gratum animum testari Tibi, mihi datum sit.

Vale igitur, o Optume, et in posterum quoque amore Tuo dignari, ne recuses.

Addictissimum Tibi
PAVLVM VSTERI.

Scripsi Gottingae
d. XXVI. Martii MDCCLXXXVIII.

SPECIMEN BIBLIOTHECAE CRITICAE MAGNETISMI SIC DICTI ANIMALIS.

Antiquitates Magnetiſmi animalis; ſiue earundem ineptiarum apud Veteres exempla.

In prima hac Sectione non niſi ſelecta quaedam proferre liceat, neminem enim arbitror poſtulaturum, vt qui Specimen Hiſtoriae litterariae M. A. — noſtri temporis, ſcribere conſtituerit cuncta illa ſeculo tum praecedenti tum ineunte praeſenti inprimis, ſcripta volumina tot tum fanaticorum tum ſomniatorum tum impoſtorum legerit, oleum ſane is et operam perderet; pauca enim idem nobis probant, quod plurima inani labore et ſtudio conquiſita. Titulorum vero farraginem, librorum partim huc ſpectantium, partim argumenta toto caelo diuerſa tractantium, ad exemplum nuperrimi Galli ſcriptoris afferre *h*) ridiculum foret.

Fontes igitur quidem nuperi, iique egregii primo indicandi videntur e quibus prolixius Antiquitates Magnetiſmi hauriri poterunt.

Recher-

h) Appel au public ſur le Magnetiſme animal caet. 8. 1787 (Paris).

Recherches et doutes ſur le Magnetiſme Animal par Mr. THOURET *Doctr. regent de la faculté etc.* 8. à Paris 1784. p. 250. et XXXIV.

Cfr. *Journal de Medecine* 1784. *Octobr. N.* 1.
Blumenb. Med. Bibl. T. I. p. 691. 92.
Gött. gel. Anz. 1784. *N.* 183. *p.* 1831-33.
Straßb gel. Anz. 1784. *N.* 66. *p.* 755-762.
A. L. Z. 1785. *N.* 116. *p.* 169.
Gaz. Salut. 1784. *N.* 43. 44. 45.
Retz Nouvelles de Medecine 1785. *T. I. p.* 56-63.

Egregium opus; — in quo celeberr. THOURET multa eruditione demonſtrat in ſcriptis fanaticorum et ſomniatorum ſeculi praecedentis, PARACELSI, HELMONTII, GODENII, BURGGRAVII, LIBAVII, MAXWELLI, SANTANELLI, TENTZELII, KIRCHERI, BORELLI, inprimis vero WIRDIGII eadem ſyſtemata eadem dogmata — ſomnia — ac miracula contineri, quae noua inauditaque MESMERUS iactabat; et cum cl. THOURET vnus ex primis eſſet, qui contra irruentem omniaque corripientem nouam peſtem ſcripſerat idque tam ſolide fecerit, multa ipſi deberi, quod ineptiae iſtae, non bonos etiam et optimos quosque infecerint, patet.

Quae vt ſe defenderet contra noſtrum MESMERUS in *Journal de Paris* inſeruit, nullius plane momenti ſunt — recuſa tamen leguntur ſub titulo *Lettre de Mr.* MESMER *a Mr.* ** in *Recueil des pieces les plus intreſſ. ſur le M. A. T. I.*

L'Antimagnetiſme ou origine, progres decadence, renouvellement et refutation du Magnetiſme animal 8. *London* (*Paris*) 1784. *p.* 252. *c. tab. aen. ſat.*

Laudandum aeque ac praecedens et bonum opus; de quo conferri meretur egregia eius diiudicatio in A. L. Z. 1787. N. 17. T. I. p. 145 — 149.

V. *Gaz. ſalut* 1785. *N.* 5.

Retz. Nouv. de Med. T. I. 1785. *p.* 56.

In *diario Berolinenſi* a Viris celeberr. GEDICKE et BIESTER edito, praeſtantia quaedam huc memoranda monumenta exſtant.

In Tomo VII. (1786. Febr. p. 154-186.) Quaedam de CROCKERI et GREATREAKII miraculis magneticis praecipue ex MORE *Enthuſiaſm. triumph. Opp.* T. 2. p. 216. 23. exhibentur.

In Tome IX. (1787. Febr.) Magnetiſmi et diuinationis exempla ex RUDIGERI de ſenſu veri et falſi libro proferuntur

rediit in *Magnet. Mag. f. Niederdeutſchland* Faſc. 2. p. 107-145.

In

In Tomo X. (1787. Jul. p. 6-43.) EBERHARD Prof. Halens. illustriss. egregia de nuperae magiae fontibus commentationi, coronidis loco somnambulismi et desorganisationis apud Veteres exemplum addidit desumtum ex *Apul. in Apollon.* p. 214. ed. Scip. Gent.

recus. in *Magn. Mag. f. N. D.* Fasc. V. p. 384. 85.

In eodem Diarii Berolinensis fasciculo SEMLER V. Illustr. dedit *Litterarischer Beytrag zur Erforschung der Quelle der neuesten Wunderkräfte* ex quo si velis, et huc quaedam trahi poterunt.

Tandem in Ej. Tomi M. Septbr. p. 209-248. WOLF. Prof. Halens. celeberr., Vir doctiss. sat pulchram et bonam commentationem de veterum somnambulismo magnetico inseruit, in qua prolixe de *Graecorum incubatione* differt, et in genere de remediis ineptiarum nostrae aetatis plura pulcherrima habet. Liceat pauca cum ipsis eius verbis huc transferre. "*Die Geschichte ehmaliger Thorheiten und veralteten Aberglaubens, wird die Lehrerinn sonst aufgeklärter Zeiten wenn gewisse Arten von beyden aufs neue epidemisch werden. Vielleicht dass wir heutiges Tages mit gewissen Dingen in diesem Falle sind. Denn darf man sich vielleicht eben den Vortheil versprechen, den der Arzt*

in körperlichen Epidemien von Krankengeschichten zieht, wenigstens wird hier die Geschichte vortrefflich dienen, die Satyre zu unterstützen, und aus beyden ließe sich, wenn es nicht mit dem kranken Verstande schon so weit gekommen ist, vt nec vitia sua nec remedia pati possit *i*), *wohl noch die wirksamste Arzney zubereiten. Die Zeit muss indes dabey das ihrige thun, wie einst bey jenem in Abdera allgemein herrschenden hitzigen Fieber, wovon Lucian in seiner Schrift über die historische Kunst erzählet. Ob Spott oder Geschichte ähnlicher Paroxysmen damals viel gewürkt haben würden, weiss ich nicht, aber der Winter kam und mit einmal — erfror das Fieber.*

At et ipsi Magnetismi fautores, — Mesmeri sectatores, cum minime fictam sed verissimam potius esse, propria inter sua dogmata miracula caet. et inter veterum illa somniatorum analogiam, agnoscere conuicti cogerentur — inde minime deterriti, mox fuisse quondam cognitam ad partem certe, sublimem scientiam, iam vero per longum tempus oblitam prorsus et amissam, a Mesmero de nouo detectam, cumque generi humano

i) Cfr. de his animi morbis quae egregia habet Vir magni nominis Marcvs Herz in Libello nuperrimo *Von der frühen Beerdigung der Iuden. 8. Berlin 1787.*

humano communicatam. En huc ſpectantia quaedam.

Traces du Magnetiſme 8. *à la Haye* 1784. p. 48. c. tab. aen. myſthici argum.

cfr. Gazette Salutaire 1784. N. 32.

Niſi forſan Satyram ſcribere voluiſſet auctor, — prorſus inſanientis opus — qui in ſcriptis Aegyptiorum, Indorum, Perſarum, Graecorum, Arabum veterum ſapientum, Magnetiſmum oſſendit; et *Elementum* eſſe ens illud hucusque ignotum, quod ſummi MESMERI poteſtatem tam ſubmiſſe agnoſcat, contendit.

La Viſion contenant l'explication de l'ecrit intitulè Traces du Magnetiſme et theorie des vrais ſages. — Et les Docteurs viendront à notre ecole. Memphis et Paris 1784.

DE LOYS V. cl. in Abregë chronologique pour ſervir a l'hiſtoire de la phyſique jusqu'a nos jours. T. I. Jusqu'a l'année 1662. (à Strasbourg 1786. 8.) in Suppl. p. 1–7. ſub titulo. Cures par le Magnetiſme animal. — Magnetiſtae Londinenſis GREATRAKES hiſtoriam tradit — eandem CAULLET DE VEAUMORELL in infra memorandis additamentis ſuis ad MESMERI dogmata a ſe edita enarrat — nec non BÖCKMANN V. cl. in promptuarii ſui magnetici Faſc. quarto.

Indicatis fontibus hifce fufficiat ex ipfis Veterum fcriptis pauciffima attuliffe.

VALENTIN GREATRAKES *Efq. of Afane in y Comty of Waterford in the Kingdom of Irland, famous for curing feveral difeafes and diftemperes by the ftroak of his hand only.* — Hoc elogio titulus et titulo fubiecta Viri imago Libri Londini 1666 editi ornatur.

Hiftoriam fat prolixe enarrat PECHLINUS in Obff. medic. L. 3. Ob. 31. *Mirabilis hiftoria de medicato manus tactu*, qui nullam de veritate rei fufpicionem fupereffe poffe exiftimat, vt quae tot et exquifitiffimis circumftantiis narrata pudorem dubitanti imponere videatur. Donum autem miraculorum nofter pro genio feculi, pro more commilitonum, diuina accepit infpiratione — neque in hac circumftantia differentiam quis a GREATRAKIIS *noftrae aetatis* offendat — fumma potius analogia adeft, cum et noftri pro genio feculi, pro more commilitonum dona fua accipiunt. — Non protinus vero et vno momento, fed non nifi fenfim fenfimque Anglus nofter diuina fua dona accepit — primo enim vox illa diuina auribus infufurrabat non nifi *I have given thee the gift of curing the Evil.* Succeffit res, et tum genius *I have given thee the gift of curing the Ague.*

Ague. — Succeſſit iterum et vix anni dimidium effluxerat cum nouae vocis ſtridor inceſſit *I have given thee the gift of healing* et iam conſummatus fuit Medicus diuinus.

De curationibus eius pauca adhuc notanda ſunt. Morbos ſanabat manu ſemel admota, fugientemque dolorem ad extrema vsque perſequente, quod ſi dolores pertinacius inſiſterent impoſitamque manum morarentur iteratis frictionibus facile eos de loco ad locum et a nobilioribus membris ad ignobiliora tandem ipſaque corporis extrema deriuabat, plerique tamen omnes ad medicatae manus contactum velut faſcino deliniri morbos ſentiebant. Scotomiam, Amblyopiam, perditiſſima oculorum auriumque vitia nuda manu ſuſtuliſſe eum oculatus teſtis ASTELIUS confirmat. Epileptica me (ait ASTELIUS) inſpectante, molli manuum tractu vel vicies percurauit idque intra tria duaue horae minuta; vlcera inueterata imo et ſtrumas, quae alias Regum videtur eſſe praerogatiua, et ipſe manu feliciter ſanabat, et quod plus eſt, tumores obſtinatos et maturationem detrectantes ad puris naturam feliciter perducebat admota identidem manu, et ſic aliquot annorum plagas intra quinque dies exire vidi. Carcinomata et ſcirroſas mammarum tumores

res eadem fortuna curabat. Neque tamen tot tantisque rebus gestis adducor vt credam supernaturalem esse hanc rem aut miraculosam, cum neque ipse sit in hac sententia et insolitas dotes temperamenti plane singularis ingenio adscribat. Et vero modus ille manus aegrosque exercendi satis argumento est, sine miraculo aut influxu divino, rem confici; cura enim persaepe lenta est, plurimique morbi iteratis manuum tractibus opus habent; alii etiam recidiuam patiuntur et nonnulli plane non obsequuntur manui ducenti, siue quod ingeneratus sit morbus, illi enim in vniuersum occurrere non potest, seu quod singularis complexio abhorreat, caet. caet.

Iam satis est! En nostrorum temporum miracula - - superest Theoria. — „Adeo existimo a Balsamicis quibusdam et medicatis corporis temperati effluuiis, quod Tincturae Vniuersalis instar se habeat, totum hoc negotium proficisci et mere corporeum esse. „

Lectu inprimis etiam digna est eiusd. PECHLINI Observ. Libri Obs. 32. quae similis argumenti historias — monachorum vel manuum tactu vel precibus et benedictione tantum, dirissimos morbos curantium; sed adesse fides debuit — *fides illa* nostris adeo celebrata Magnetistis.

En

En ex Epiſtola a. 1676 a TACCHENIO ſcripta ſat iucundam hiſtoriam, quam paucis nullius momenti circumſtantiis mutatis ex Templo magnetico Pariſienſi vel Argentoratenſi deſumptam iure putares. — Capucinus ille, intelligit fratrem BAGNONE iam inde a quatuor ſeptimanis hinc Chiozza profectus, multis ſui exſpectationem reliquit, aliqui autem exiſtimant illum etiamnum hic latere. Ego vbi notaueram magnum factum eſſe hominum ad eum concurſum, et ipſe curioſitate ductus eo affectaui viam, ſi quid forte miraculi etiam me praeſente fieret. Itaque templum reperi plenum et refertum omnis generis hominibus, nam et vetulae et edentuli ſenes et in cunis vagientes pueri illati ſanitatis beneficium a monacho praeſtolabantur. Atque ibi tum capucinus de fide in ſuggeſto verba faciebat, quid illa eſſet et quantum in recuperanda animi corporisque ſalute valeret, idque breuiter et ſine ornatu. Hanc oratiunculam benedictio ſequebatur, cum qua ceremoniarum finis erat. Quoties videret alios ex aliis ſuccedere in templum dimiſſis primis, priſtinum ſermonem repetebat addita benedictione. Inter alios vetula quaedam ſcipioni innixa ſe magno conatu inferebat mediae concioni capucini conſpectum vehementius ſollicitans; quod cum notaret, abrupto ſermone ſua lingua clamabat.

bat: — „*Ma donna, voi non credete, et pero non havrete gratia, perche la benedittione va ben in lontano*„ atque ita illam repudiabat. Sequentes non minus iucundae hiſtoriae in ipſo PECHLINO legendae ſunt.

Initium huius obſeruationis oſtendit quam ſimiles homines, reſpectu medicorum omni aetate ſibi ſint. „Opinionem et conceptam de medico fiduciam plurimum poſſe in ſanando, iam ante attigi; ſed quis credat etiam de alio quoque, vel non medico, modo vulgi ſuffragium nactus ſit eandem ſubnaſci opinionem poſſe, ſubnaſcitur tamen et non peregrinas tantum perſonas, ſed et media inſolita, pridem etiam miraculorum ſanctimonia aut cabalae arcanis adſcripta ſanationibus adhiberi quotidie videmus„ et hodie videmus.

Vnicum adhuc deſorganiſationis et ecſtaſeos magneticae exemplum ex libro alchymico — afferre liceat — idem etiam SEMLER V. Illuſtr. in nuperrimo tertio faſciculo collectionum ſuarum ad fratrum Roſeae crucis hiſtoriam (*Unpartheyiſche Sammlung zur Hiſtorie der Roſenkreuzer Faſc.* 3. 8. *Leipzig* 1788) p. 200 ſq. enarrauit.

Exſtat in libro — *Die wahrhafte und vollkomne Bereitung des philoſophiſchen Steins der Brüderſchaft*

aus

aus dem Orden der Gulden und Rosenkreuzer caet. publicirt von Sincero Renato. Breslau 8. 1714.

Cap. IX. *Von der Abbrevation und practica unsrer Brüder S.* 22. 23. *welche gloriöse Sulphur die innerliche und äußerliche Sinne einschläffen macht, und erhebt das mumialische Ferment des Geblüts, die übernatürlichen Revolutiones (sollte wohl Revelationes heissen) und impressiones empfangen; in welchem Stand der Mensch in die natürliche Ecstasis fällt, und durch welchen sich die Seele von der Seele (oder wohl Hülle) der Sinnen auswindet, unterdess fliegen die Finsternissen und Obscuritäten von unserm Leib, und die Operationes der Phantasie und Imaginationes der Augen und der anderen Sinnen tranquillieren sich. Auf diese Weise bedient sich unsre Seele nach dem Wohlgefallen des großen Mumialferments in welches erstlich von der Phantasie ein oder anderes finsteres Object imprimirt ward, und sie kommt in ihrer reinen Hand oder Freyheit, und also kann man daraus schließen, daß diese Operatio Ecstaseos etlichemal ganz natürlich geschehen könne, und zwar ohne Kunst und ohne unserm Artificio, nämlich daß die Phantasie denkend und wiederdenkend von den äusserlichen Sinnen das Bild empfängt, also daß dieses Bildniß und Charactere das Mumialferment des Geblüts etlichemal movieren durch welche sich dieser*

sulphu-

ſulphuriſche Theil erhebet, ſo die Hitze fermentirt und in dem ganzen Leib ſich verbreitet, machet die Geiſter wie auch die Bewegung der Nerven einſchließend (einſchlaffend) und alſo bleibt die Seele in ihrer völligen Freyheit und ohne Obſcurität des Leibes und producirt übernatürliche Effectus. Von dieſem gebenedeyeten Sulphur haben wir das Principium (in) der Cabala das iſt die allerhöchſte und allerſchärfſte Kunſt durch welche ſich der Menſch zu allen ſcientiſchen Sachen extendirt, welches geſchiehet, weil das Subject unſrer Seele capabel oder fähig iſt alle Sachen zu begreifen.

Phaenomena magnetiſmi mirabunda in ſtatu hominis ſano et aegroto obſeruantur, et explicantur ſine abſonis illis magnetiſtarum hypotheſibus.

Haud incongruum videtur antequam ad Hiſtoriam Litterariam fata MESMERI et eius ineptiarum tradentem veniam, ea praemittere ſcripta, quae id ſibi propoſuere vt phaenomena illis prorſus analoga quae magnetiſmo propria et eius arte producta dicuntur, in ſtatu hominis ſano, praeſertim vero in aegrotis obſeruata tradant et rationes vero ſimillimas, leges et cauſas ex corporis humani natura et fabrica deſumtas adderent — in plurimis

mis quidem contra magnetiſmum ſcriptis libris quaedam huc ſpectantia exſtant; mihi vero hoc loco vix niſi illa enumeranda videntur, quae vnice hoc argumento occupantur.

Eſt ergo hoc ipſum quod tam egregie nuper et abſolutiſſime tractauit Praeceptor optimus in diſſ. ſequ.

Exercitat. phyſicarum de cauſis phyſicis mirae illius tum in homine tum inter homines, tum denique inter caetera naturae corpora ſympathiae ſecunda — Praeſ. I. H. RAHN M. D. Pr. p. — deſ. a quibusd. S. M. Cand. ad d. 13. Febr. 1788. Turici. 4. pag. 65.

Conferri merentur ſcripta HOFFMANNI V. Illuſtriſſ. contra magnetiſtas infra adducenda.

D. C. F. ELSNER Progr. — Praefatio complectitur colli curui atque inclinati hiſtoriam quae ſit teſtulae meae ſuffragium de magnetiſmo animali. 4. Regiomonti d. 16. Sept. 1787. p. 16.

Cfr. *Berl. Monatſchrift.* 1787. *Decembr. T. X. p.* 528 - 52. Excerpta.

Gött. gel. Anz. 1787. *N.* 184. *p.* 1835. 36.

Memoriae digniſſima et ad diiudicandum M. A. aptiſſima hiſtoria, morbi neruorum diriſſimi in hy-

ſterica muliere. Oſtendit Vir egregius, phaenomena deſorganiſationis et ſomni magnetici nil noui eſſe in re medica ſed morbis neruorum admodum ſolemnia ſymptomata — et ab ipſa natura excitari ſine artis adminiculo, absque manipulatione; facultatem diuinatoriam nil niſi phantaſiam exaltatam; eandemque huius ac ſomni eſſe rationem — medicos non fugere, conuulſiones licet morbi ſint ſymptomata paſſiua a cauſa irritante producta ob virium corporis viui reactiuorum nonnunquam bono cedere, atque ſaluti eſſe — palam eſſe ſub conuulſionum tyrannide ſecretiones quasdam augeri; harumque ſub relaxatione excretiones quasdam maiori copia et criſeos inſtar ſuccedere — notam tandem titillationis et frictionis vim in ſenſibilibus. — Eſſe Magnet. anim. praeiudicatam opinionem ex curationibus magnetiſtarum minime deducendam, quae longe alia via facta ſint nempe 1) per confiſionem et exſpectationem 2) per euacuationes arte inſtitutas 3) per excretionem auctam, quae a natura durantibus conuulſionibus producitur, vel quae poſt harum remiſſionem contigerit.

Quis non laetabitur, Medicum et Philoſophum tam praeſtantem tam egregium, qualem eruditi omnes ELSNERVM norunt, mentem ſuam de graui aetatis noſtrae morbo et errore, non iocoſe aut vti oraculum ex tripode — quod mehercle

hercle parum iuuat — ſed ſolide, additis ſuis rationibus expoſuiſſe.

Quae in collectaneis in vſum medicorum practicor. (*Saml. zum Gebr. pract. Aerzte*) Tomo X. Faſc. 4. exſtat D. BERTIN morbi hiſtoria, iterum deſorganiſationis et ſomnambuliſmi ſine magnetiſmo exemplum, conferri meretur.

Similia exempla exſtant in MORITZ v. Cl. *Magazin zur Erfahrungsſeelenkunde T.* 1. *St.* 2. *p.* 72. cfr. ibid. *T.* 5. *St.* 3. *p.* 10. 11.

VNZER v. Cl. *Arzt T.* 3. *St.* 74.

Breslauer Samlungen Verſ. 19. *S.* 192.

DE HAEN Ratio medendi T. IV. Cap. 5. S. 3.

ROTH v. Clariſſ. apud Bremenſ. Medicus egregius, dedit in promptuario Hannouerano (*Hannov. Magazin*) 1787. N. 64. *Beytrag zur Geſchichte der Nervenkrankheiten zur Vergleichung mit dem ſogenannten Magnetiſmus.* Videſis quantum imaginatio valet.

Recuſa leguntur in *Magn. Mag. F. N. D.* Faſc. V. p. 433 - 37.

et BÖCKMANNI *promt. magn.* F. 3. p. 85 - 90. c. parui momenti notulis.

BRVCKMANNI Enarratio Choreae St. Viti et Epilepſiae quae per fontes medicatos Embſenſes curatae ſunt. 8. Francof. ad Moenum 1786.

Ne interea credant lectores fore hoc argumentum aptum ac idoneum remedium contra magnetiſmi ineptias, ex nuperrimo ſcriptore gallo hiſtoriolam paucis enarrabo. Mr. le Docteur V. Medecin de beaucoup d'eſprit etc. etant venu voir Mad. la Ducheſſe de — elle lui donna votre Eſſai (NB. de Mr. TARDY DE MONTRAVEL de quo libro infra agetur) il le lut avec beaucoup d'attention et en fut tres ſatisfait, quoique n'oſant pas avouer qu'il fut pleinement convaincu, mais ce qui le frappa le plus, fut qu'il ne put ſe refuſer à voir, qu'il avoit eu, il y a deux ans, et pendant quelque temps, dans les mains un ſomnambule naturelle, ſans ſ'en douter, et ſans magnetiſme — *et cela n'a pas peu contribué a lui donner de la confiance pour le magnetiſme k)*. Tam peruerſa iſtorum hominum ingenia ſunt!

Hic vero temporis anguſtiis ſubſiſtere cogor. Si non prorſus inutilem litterarium hunc conſpectum iudicauerint iudices et cenſores mei, proxime illum integrum, fere penitus iam elaboratum publici iuris faciam.

k) Lettres pour ſervir de ſuite a l'Eſſai ſur la theorie du ſomnambulisme magnetique par M. T. D. M. 8. London 1787. p. 64. 65. Cfr. WIENHOLT *Beytrag etc. Vorbericht. S. 69.*

Theſes.

Theſes.

1.

Minus felici conſilio immortalis memoriae vir Maximilianus Stoll *e* Febrium ſui generis *numero* neruoſam *remouiſſe videtur, quae a ſymptomate nomen haberet, et peregrinam, eamque pro re nata diuerſam, irritantem, febremque excitantem agnoſceret cauſam; id quod in caeterarum febrium claſſem quandam, neruoſam febrem reuocet, ex quarum praeceptis etiam ſananda ſit.*

2.

Id quidem facile concedo febris neruoſae cauſam προηγεμένην *ſingularem aliquam ſyſtematis neruei mobilitatem, debilitatem, non niſi accedente ſtimulo febrem excitante ſub febris neruoſae ſpecie nos terrere, ſed, quaeſo, nonne analogi quid — ne dicam*

 cam

cam idem — ipsa princeps illa febris inflammatoria nobis offert — nonne et in hac febre, stimulum quendam in S. N. qui febrem excitet, causae praedisponenti, vnde nomen febri, accedere oportet.

3.

Porro hominem tibi finge, statu neruoso morbido illo affectum; leuissimum diaetae vitium accedit — febris oritur — gastricam indolem non nego, sed sumto emetico, emeto-cathartico omnis sublata est gastrica labes; febris vero augetur, adest iam summa debilitas, caetera huius febris symptomata; vnde iam tibi medendi methodum depromere velles — an febris gastricae illam? — minime gentium; prorsus singulari oportet curandi methodo vti, ni successu omni orbari velis.

4.

Igitur si ex principe causa, quaeque primam dat summamque medendi indicationem — si ex ipsa, plane ab illa caeterarum febrium diuersa medendi methodo, morborum diuersitas sit diiudicanda; id quod vix quisquam negabit, febrem neruosam, qua febrem sui generis considerandam esse patet.

5.

Cum adeo diuersissimae et inconstantes sint febris neruosae lentae *symptomata, pulsus, vrinae, linguae, caloris, caet. caet. difficilius notae, eam a* febre *sic dicta* putrida *distinguentes characteristicae, traduntur, forsan maxime in longe majori omnium symptomatum in febre putrida constantia quaerenda — facilius vero longe, in singulari casu distinguuntur.*

6.

Sat bonum *in hac febre* signum — *criseos tamen non semper nomen merens — exoriens* salivatio *est. — mihi quidem non nisi duplici obseruatione probatum; sed a* WEIKARDO *viro summo, optimo et prorsus diuino huius febris obseruatore, pluries visum.*

7.

Indicatio *prima et summa in febre neruosa lenta nisi complicatio grauior adsit, est* excitans *cui postea accedit* roborans.

8.

Indicationi excitanti conuenit omnium maxime summum cardiacum Vinum *et quidem generosum rubrum,*

brum, cum ſaepiſſime rhenanum minus conuenire et reſpui a ventriculo compertum habeam; idque non parua copia ſed magna largaque, ad menſuras duas (zwey Bouteillen) vsque et vltra, intra viginti quatuor horas ſumtum.

9.

Ipſam eſſe Naturae vocem Vini appetentiam in hoc morbo, expertus ſum, cum iam nulla alia potulenta grata eſſent, nec ipſa acidiuſcula, — ſed Vini appetentia magna, quae iterum ſimul cum morbo ſeceſſit.

10.

Magnetiſmus animalis arti ſalutiferae noſtri temporis maculam impreſſit ex integro vix delendam.

11.

Irritabilitatem vim vitalem neruoſam, ab organica muſculoſa ſtructura modificatam, eſſe contendo.

12.

Quae in Hydrocephalo interno deprehenditur ſaepius aqua in ventriculis cerebri, effectus potius morbi quam cauſa eſſe videtur.

13.

Lochiorum ſuppreſſionem rariſſime morborum cauſam, ſed effectum potius et ſymptoma morbi eſſe contendo.

14.

Materiam arthriticam dari nego.

15.

Deſideratur Pathologiae compendium congruum hodiernae medicinae.

16.

In regno vegetabili genera dari naturalia plane nego.

17.

Botanices hiſtoria critica deſideratur, noſtris temporibus utiliſſima futura.

18.

Deſideratur Medicinae hiſtoria pragmatica.

19.

Phrenitis minime morbus ſui generis, ſed ſymptoma potius, plurium morborum eſſe videtur.

20.

Arteriis vis vitalis propria male a quibusdam tribuitur.

21.

Vis non niſi per effectus ſuos, nec γενεθικῶς *definiri poteſt.*

22.

Deſideratur Materiae medicae veterum temporum hiſtoria pragmatica, bene diſcernenda a Mat. medicae noſtri temporis conſideratione.

23.

Contractilitatem propriam ab Irritabilitate et Elaſticitate diſtinguendam ſolidi viui vim eſſe, mihi haud videtur.

24.

STAHLII *ſumma ſunt et immortalia in rem medicam merita.*

25.

Verum conſenſum partium corporis animalis non niſi per neruos dari puto.

26.

Summa in rem medicam emolumenta ex huius consensus doctrina, a summis in arte viris dilucidata, nata sunt.

27.

Inducta, acidorum vegetabilium iusto frequentiori usu, digestionis officinae debilitas, corrigi posse simultaneo acidorum mineralium usu videtur.

28.

Certos limites dari inter corporum organicorum duo vulgo sic dicta regna, haud credo.

29.

Vtilissima omnino lectio veterum et Graecorum et Latinorum Medicorum nostrae aetatis Medicis foret, non repugnante amico, qui necessariam negat.

30.

Egregie nuper a summis in arte Viris monitum est, tironem, ab ineunte iam cursu sic dicto theoretico ad lectulos aegrotorum ducendum esse.

31.

Motus humorum in omni venarum ſyſtemate inuerſus et retrogradus (a corde ſc. ad extr.) ad ſolam pathologicam C. H. conſiderationem minime referendus eſt.

32.

Dolores faciei ſingulares nuper a Fothergill, Selle et Lentin V. celeberr. aliisque medicis, obſeruati (Gallis Tic douloureux dicti) minime morbum ſui generis conſtituunt.

33.

Motus voluntarius nullo modo Vegetabilibus denegari poteſt.

34.

Omnino errarunt qui arteriarum ramos iunctim ſumtos, capaciores eſſe trunco ex quo orti ſunt, cenſebant.

35.

Per Parenchyma intermedium fines arteriarum cum venarum originibus communicare plurimis in locis, nullum dubium eſt.